

44.

DISSERTATIO ACADEMICA
HISTORIAM DOCTRINÆ
DE
AFFINITATIBUS CHEMICIS

EXHIBENS,

CUJUS PARTEM NONAM

CONSENSU AMPLISS. FAC. PHIL. ABOËNS.

PRÆSIDE

MAG. JOHANNE GADOLIN,

CHEMIÆ PROFESSORE PUBL. ET ORD., COLLEGII IMP. MED. ASSESSORE ET
EQUITE ORD. IMPER. DE ST. WOLODIM. IN IV:TA CLASSE; ACAD. IMP. SCIENT.
PETROPOL. ET SOCIET. LIB. OECONOM. PETROP. MEMBRO CORRESP., SOCIET.
IMPER. NATURÆ STUDIOSOR. MOSCOVIT., SOCIET. IMP. OECON. FENN., ACAD.
CÆSAR. NAT. CURIOS. ERLANG., REGG. ACADD. ET SOCIETT. SCIENTT. HOL-
MENSIS, DUBLINENSIS, UPSALIENSIS, GÖTTINGENSIS, SOCIET. ANTEHAC MED.
CHIRURG. ET PHARMAC. BRUXELLENSIS, SOCIETATIS PHYSIOGRAPH. LUNDEN-
SIS, SOCIET. MINERALOG. JENENSIS, SOCIET. SCIENT. NATURAL.
MARBURGENSIS MEMBRO.

PRO GRADU

PUBLICO EXAMINI SUBJICIT

GUSTAVUS RINGVALL,

PHILOS. CANDID. ET VIC. APOLOG. AD SCHOL. CATHEDR. AB.

IN AUDIT. PHILOS. DIE XXVIII NOV. MDCCCXVIII.

H. A. M. S.

ABOÆ, TYPIS FRENCKELLIANIS.

The ses.

1.

Corpora homogenea, in quibus, utcumque mechanice divisis, sensuum ope nullam detegere valemus dissimilitudinem partium, plerumque, si non semper, continent substantias diversae indolis, quæ in infinitum partitæ, inter se commixtæ & vi affinitatis chemicæ cohærentes nonnisi per operationes chemicas e se mutuo sejungi possunt,

2.

Omnis conjunctionis chemicæ ea est conditio, ut homogeneam efficiat substantiam corporis ex pluribus, diversi generis, partibus compositi.

3.

Affectiones, quibus inter se conjungit affinitas corpora diversi generis, dependent a viribus institutis, materiæ imponderabiles vulgo appellatis, quæ per diversitatem suam se mutuo appetunt & ponderabilem materiam partim deferentes utplurimum phænomena caloris, lucis aut electricitatum producunt,

4.

Itaque conjunctiones corporum chemicæ nunquam vi simplicis affinitatis efficiuntur. Semper enim præter connubium substantiarum ponderabilium, aliud simul ex imponderabilibus conjugilur,

5.

Inverso quoque ordine per actiones chemicas divelli nequeunt partes diversæ a corpore composito, nisi addatur illis, quod sub conjunctione perdidérant, ut nudatae sub pristina forma compareant.

6.

Propterea, cum in corpore composito mutatae sint affectiones partium constitutivarum ponderabilium, non convenit dicere, quod illud in finu suo foveat partes, quales ante conjunctionem fuerant, vel quales, per analysin chemicam nudatae sensibus nostris offeruntur. Sic ex gr. non recte dicitur in sale composito latere ipsum acidum & basin ex quibus formatum erat.

7.

Hinc explicanda esse censemus phænomena chemicis non raro observata, quæ alias indicare videbantur affectiones aliasve affinitates substantiarum in ipso sejuncti momento (s. statu nascente) quam quæ iisdem jam segregatis competant;

FELICISSIMO quidem jam successu indagatae esse videbantur affinitatum chemicarum leges, cum ex iis plurimas interpretari liceret naturae phænomena, earumque auxilio adeo cresceret cognitio analytica corporum anorganicorum, ut vix ullum horum in superficie telluris inveniretur, cuius partes elementares, sine metu erroris, extricare, & qua natu-ram ac quantitatem accuratius determinare non auderent che-mici; quinetiam organicorum corporum mutationes natura vel arte effectæ magis in dies magisque illustrarentur; ne dicam quod illis indicibus pleraque persicerentur artes & opificia chemica. Sed ad excelsiorem adspirantibus scientiam ingenii perspectum simul fuit, plenius satiusque cognosci & intelligi phænomena chemica, si non modo ordo affinitatum inter singulas substancias detectus esset, sed quantitates etiam earum relativæ ita investigatæ, ut numeris exquisite significari possent virium proportiones. Sic enim computatione certius definiren-tur mutationes e duplicitibus vel magis adhuc complicatis affi-nitatibus corporum, ex pluribus substantiis compositorum & inter se mixtorum, oriundæ. Itaque variis viis conati sunt chemici, ut fidas invenirent methodos, quibus vires metiren-tur affinitatum.

Anno 1777 occupavit celebris DE MORVÉAU pondere metiri affinitates inter hydragyrum & plura alia metalla (4a). Comparatis sibi diversorum metallorum laminis quarum super-ficies planæ, quadratae & exacte æquales erant, singulas earum seorsim super hydragyrum posuit & deinde bilancis ope ex-ploravit, quo pondere unumquodque metallum e confinio hydragyri elevari posset. Inde subtrahito pondere ipsius me-talli, residuum habuit pondus, cum quo æquilibrium tenuit metalli ad hydragyrum adhaesio. Sic detexit *aurum* poscere pondera 446, *argentum* 429, *stannum* 418, *plumbum* 397,
bis.

4a) *Elementa de Chimie théorique & pratique* Dijon 1777 T. I. p. 63

bismuthum 372, zincum 204, cuprum 142, antimonium 126, ferrum 115, cobaltum 8, antequam superatæ fuerunt vires, quibus hydrargyro adhæserant. Et cum has virium mensuras fere consonare videret ordini, quo, secundum experimenta BERGMANNI magis minusve prona essent metalla ad amalgamata cum hydrargyro formanda, ubi scilicet primum in serie locum occupavit aurum, secundum argentum, sequentes ordine plumbum, stannum, zincum, bismuthum, cuprum, antimonium & ferrum, ultimum cobaltum, quod vix ac ne vix quidem cum hydrargyro conjungi poterat, non dubitavit DE MORVEAU, quin numeris allatis vera repræsentaretur proportio affinitatum inter hydrargyrum & cetera metalla. Propterea autemavat corrigendos esse ordines a BERGMANNO, inter plumbum & stannum, ac inter zincum & bismuthum, exhibitos, utpote qui non satis accuratis niterentur experimentis, quoniam in confectionibus hisce examinandis non patuit BERGMANNO via æqualiter tuta ac in investigando & stabiliendo ordine conjunctionum inter acida & bases salium. Existimavit denique DE MORVEAU fieri utique posse, ut methodo a se patefacta exploratis viribus, quibus alia corpora quæcunque aliis adhærente valeant, horum omnium inter se affinitates chemicæ exacte determinarentur (4b).

Numerosa deinde instituit tentamina Cel. ACHARD, ut experiretur, quantis viribus, æquales diversorum corporum solidorum superficies lævigatione ad planitiem speculi redactæ adhæreant variis corporibus liquidis. Sed in egregia serie experimentorum mira sedulitate ab ACHARD institutorum (4c), per-

4b) *Theoretische und praktische Grundsätze der chemischen Affinität oder Wahlanziehung.* Berlin 1794 Translatio germanica articulorum *Adhesion & Affinité*, in *Encyclopædia methodica insertorum*.

4c) *Chemisch-physische Schriften.* Berlin 1730.

per pauci inveniuntur casus, ubi cum chemicis affinitatibus comparari possint adhæsionum vires. Corpora enim acida & bases salium, quorum ordines affinitatum directis experimentis optime cogniti erant, solidam habentia formam perraro æquabiles & planas, attritu aut politura obtinere potuerunt superficies. Effecit præterea vehementia, qua agant corpora sese mutuo facile solventia, ut quamprimum ad contactum mutuum admitterentur, mutaretur insimul natura superficierum contingentium, detractis ex altera alterique confini additis nonnullis partibus, indeque aut minueretur aut augeretur corporis liquido superpositi pondus. Sic vero neque invariata mansit vis adhæsionis superficierum ad se invicem applicatarum, neque bilance certo indicari potuit, quanta reapse adhærerent corpora vi. Hæc cum perspicceret ACHARD, minus sollicitus de stabiendo & accuratius determinando ordine affinitatum chemicarum, in id potissimum animum attendit, ut cohæsionis gradus particularum in corporibus liquidis diversitatesque illius ex variata caloris temperatura oriundas suscepit investigaret experimentis: existimans ita jaci posse fundamenta cognitionum de figuris molecularum invisibilum, a quibus dependent amplitudines contactuum viresque adhæsionum.

Eodem tempore animadvertisit Cel. DUTOUR (*4d*) contra theoriam Cel. DE MORVEAU, quod laminæ corporis solidi, quæ a liquido adhærente madefiant, vi qua elevationi suæ resistant, potius cohærentiam partium corporis liquidi inter se, quam hujus ad laminam adhæsionem indicent. Observavit enim plerumque æquales superficies corporum solidorum, quantumvis diversorum æqualiter fere adhærere superficie dati corporis liquidi, inæquales vero esse adhæsionum vires pro diversitate liquidorum.

Hanc

Hanc quoque experientiam confirmatam nuper habuit Cel. RUHLAND (4e) qui non modo certius vidi, tum demum nonnisi ab adhaesione corporum contiguorum dependere vim, quæ separationi eorum resistit, cum semovendi corporis solidi superficies nihil ex liquido secum ferat, eandem vero insuper variari ex aliis rebus circumstantibus, ut temperatura caloris, frictione superficierum, & agitatione particularum per chemicas affinitates. Ex quibus evidenter patere judicavit minime aptam esse hanc methodum ad dimetiendas vires affinitatum chemicarum.

Famosam dudum hypothesin, aliis acceptam, aliis damnatam, quod a figuris partium minimarum omnes derivandæ sint affectiones corporum chemicæ, suam fecit cel. C. Fr. WENZEL (4f), cui similis figura molecularum in omnibus acidis non obscure inde indicata esse videbatur, quod uno eodemque ordine alia ab aliis præcipitentur metalla in menstruo quocunque acido soluta, cum lubentissime ab omnibus acidis appeteretur ferrum, quod ordine exciperent plumbum, stannum, cuprum, antimonium, hydrargyrum & argentum: pariterque similitudo molecularum in sulphure & arsenico inde prodita, quod ex utroque horum menstruorum constanti ordine se invicem dejiciant ferrum, cuprum, stannum, plumbum, argentum, antimonium, hydrargyrum. Parum illi probabiles fuerunt, quas variis quoque argumentis refellere conatus est, theoriæ eorum, qui affinitatem chemicam, per rationem conjunctionis (das Verhältniss der Verbindung) ipsi definitam derivatam habere voluerunt e ratione aut densitatum singulis sub-

4e) SCHWEIGER *Beyträge zur Chemie und Physik* XI B. S. 146—168

4f) *Lehre von der Verwandschaft der Körper*. Dresden 1782, Erklärung.

Substantiis propriarum, aut conformitatis inter densitates corporis solventis atque solvendi, aut quantitatum, quas e diversis corporibus suscipere valeat datum quodvis menstruum, aut cohesionum inter particulas, sive majoris minoris corporum duritiae, cum certius evictum esse censeret, quod effectus affinitatum chemicarum in penetratione mutua partium minuarum, interiore motu citatarum consistant, & quod propterea universalem illam statices legem omnes sequuntur conjunctiones chemicæ, ut eo velocius succedant, quo major adgit vis motrix. Hinc concluſit, tanto majorem esse chemicam inter duas substantias affinitatem, quanto minore tempore perficiatur illarum conjunctio; censuitque optime explorari proportiones affinitatum inter menstruum quocunque & diversa corpora ab eo solvenda, si æquales horum superficies actioni menstrui similiter exponantur, & observetur, quantum ex unoquoque eorum sub æquali caloris temperatura, dato tempore solvatur. Exempli loco proposuit, ut ex diversis metallis formarentur cylindri solidi æquales & similes, quorum superficies, excepta altera basi circulari, obducenda eset lumento ab acidis non penetrando, iisque in vasis similibus, acido ejusdem qualitatis & quantitatis immergerentur, & in eadem caloris temperatura tenerentur, quo ex quantitate cujusque metalli dato tempore soluta intelligeretur, quantum temporis, ad datum pondus metalli in hoc acido solvendum, necessarium fuisset, quod non dubitavit inversam significare proportionem affinitatum acidi ad singula metalla. Eodem modo explorari posse autumavit rationes affinitatum inter quæcunque alia corpora. Cum vero plures substantiæ menstruum non subeunt, antequam hoc aqua dilutum sit, lentiusque generatim peragit solutio in menstruo diluto, quam in concentrato, ad errores computationis evitandos necesse esse judecavit, ut menstruis attenuatis tanto magis concedatur temporis, ad actiones in corpora solvenda exercendas, quanto majus, per dilutionem sit spatium a menstruo occupatum:

hujus

hujusmodi autem experimentis rite factis corrigi posse expositiones attractionum elestivarum antea oblatas. Intellexit enim ordinem attractionum saepius minus accurate fuisse determinatum, cum non attente satis consideraverint chemici circumstantias peregrinas, ex quibus nova suborta sint phænomena, iis non consona, quæ ex affinitatibus investigatis derivarentur. Sic propter volatilem substantię cujusdam naturam, non raro evenire vidit, ut quæ a corpore fixo ceteroquin fortius attracteretur, interveniente calore, locum cedat alii magis fixæ, ceterum infirmius attractæ. Similiter aquam, sua præsentia, id facile efficere, ut substantiæ maxime solubiles in hoc menstruo suspensæ & inter se coniunctæ teneantur, separatis, secumque unitis, quæ difficilius solvi possint, quamvis vi affinitatum, nisi obstaret aqua, alia prorsus ratione fierent connubia. Neque in concursu duorum salium eas semper obtineri conjunctiones, quæ ex præponderante attractione unius acidi ad alterutram basin, aut unius baseos ad alterutrum acidum expectandæ essent, cum affectiones alterius acidi aut baseos, si vel parum efficaces esse videantur, ordinem observatori conceptum interdum turbare valeant. Præcipitationes quoque metallorum mutuas ex solutionibus acidis non unice per diversas eorum ad acida affinitates succedere, cum in computum simul veniant necesse sit, affinitates metallorum inter se. Itaque nullibi omnino fidam esse phænomenorum interpretationem, nisi justa attentione omnes respiciantur vires in se invicem singularum substantiarum, quæ mixti efficiunt partes.

Contra theoriam WENZELII de affinitatum viribus ex celeritate solutionum æstimandis alii objecerunt, quod haud pauca sint conjunctionum phænomena, quibus se mutuo evidenter aggredi videntur substantiæ, quæ post factam copulationem laxe admodum cohærent, cum e contrario firmiter connexæ esse reperiuntur, quæ difficulter coiverunt. Inter hos

hos cel. DE FOUREROY (4g) perspiciens, quod firmitas nexus substantiarum fidissimum sit criterium affinitatis earundem chemicæ, inde deducendam esse veram hujus mensuram judicavit, itaque computandas esse vires attractionum electivarum ex difficultate, qua destrui posit connubium inter duas quasque substantias formatum. Afferere tamen ne ipse quidem ausus est, quod multum adjumenti ex hoc themate accederet praxi chemicæ pro vera affinitatum ratione invenienda. Innotuit enim jam tum, quod non omnimode constans sit inter unitas duas substantias vis connexionis, sed fortior interdum, interdum infirmior esse videatur pro diversa quantitatis earum proportione. Quemadmodum experimenta ad praescriptum WENZELII instituentibus patuit, vehementem plerumque, in initio concursus duarum substantiarum, esse mutuum appetitum, quamdiu nempe materia solvens nondum mutata omnem sibi insitam vim in materiam solvendam exerceat, mox vero debilorem fieri actionem, cum aliquam corporis solvendi partem illa sibi adjungerit, tandemque vanescere agilitatem, cum per se invicem saturatae fiant partes utriusque corporis contiguæ: sic etiam, qui ex mente cel. DE FOURCROY dirimere occupaverunt conjunctionem substantiarum adunatarum, viderunt tantillam alterius partem facile separari, ulteriorem vero difficilius vinculis liberari, & difficillime plenam perfici disjunctionem.

Hæc perpendentibus necessarium visum est chemicis, præcipuum habere respectum saturationis substantiarum mutuæ, antequam certius definiri possint & inter se comparari vires, quibus vel efficiantur vel destruantur conjunctiones. Propterea cel. H. I. B. KARSTEN (4h) ita interpretandam esse legem

4g) *Elements d'histoire naturelle & de chimie IV:me Edit. Paris 1791 p. 72 sqq. It. Système des connaissances chimiques. 8:o Tom. VII de l'attraction de composition.*

4h) *Revision der chemischen Affinitäts-Lehre Leipzig 1803.*

legem Wenzelianam, ut sint affinitates menstrui cuiuscunque ad diversas substantias in ratione inversa temporum, pro determinato saturationis gradu, solutioni obtinendo necessariorum. Attamen fatendum est, quod ex nudis hisce, similibusque aliis ingeniose cogitatis enunciationibus, parum adjumenti ad doctrinam affinitatum stabilendam nedum augendam præstum sit neque sperari quid possit, nisi nova succurrat aliunde petita experientia.

Prosperiorem successum promittere videbantur considerationes phænomenorum ab attractionibus electivis duplicibus, quas antea quidem jam detectas & adumbratas. primus accuratius descriptas & designatas explicare conatus est BERGMAN (4i), dependentium, ubi quattuor simul substantiarum, duarum scilicet unius generis, duarumque alterius ad illud affinis, vires efficaces sunt. Cognitis enim, ex experientia, affinitatibus inter oppositas quasvis substantias simplicibus. Sive experto, quænam aliis majores minoresve sint, visum fuit chemicis, quod, contemplatis phænomenis mutationum in concursu omnium simul substantiarum intercedentibus, computacione æstimari possint virium illarum mensuræ, sive quoties minores a majoribus superarentur. Sint quattuor substantiae *a*, *b*, *c*, *d*, quarum duæ *a* & *d*, pariter ac *b* & *c* ejusdem generis nullam inter se affinitatem prodant, *a* vero ad *b* & ad *c*, pariterque *d* ad *b* & ad *c* affines esse intelligantur; constetque per experimenta chemica, quamnam duarum substantiarum sibi affinium præferant utræque. Si jam affinitas inter *a* & *b* major sit affinitate inter *a* & *c*, simul ac affinitas inter *d* & *c* major sit affinitate inter *d* & *b*: vel si affinitas inter *b* & *a* polleat præ affinitate inter *b* & *d*, simul ac affinitas inter *c* & *d* pollentior sit affinitate inter *c* & *a*, facile de-

4i) Acta Reg. Soc. Scient. Ups. Vol. II. 1775 & Opusc. Vol. III 1783.

decernebatur, hasce quattuor substantias commixtas ita inter se sociari debere, ut inter *a* & *b* similiterque inter, *c* & *d* fiant connubia; quod etiam cum experientia plerumque quadrare compertum est. Quod si vero aliæ sint inter *a*, *b*, *c*, *d* affinitatum simplicium rationes: si nempe aut simul major sit affinitas inter *a* & *b* affinitate inter *a* & *c*, atque minor affinitas inter *d* & *c* affinitate inter *d* & *b*; aut major sit affinitas inter *b* & *a*, quam inter *b* & *d*, simul ac minor sit affinitas inter *c* & *d*, quam inter *c* & *a*, ex his datis nondum intelligi poterat, utrum, commixtis quattuor illis substantiis, *a* ipsi *b* an ipsi *c* adjungeretur, sive utrum *d* aut ipsi *c*, aut ipsi *b* adsociaretur, quæ res peculiari experimento exploranda fuit. Sive, quod perinde est, experiendo inquirere oportuit, utrum, commixtis duabus substantiis bimembribus, coniunctione inter *a* & *b* atque inter *c* & *d* formatis, invariatae maneant singulæ illæ binæ, an ita mutentur, ut *a* sece cum *c* & *d* sece cum *b* conscient. Cel. RICH. KIRWAN in phænomenis affinitatum indagandis sollertissimus (4k) quiescentes appellavit affinitates, quæ in substantiis antea unitis validæ sint, utpote inter *a* & *b*, atque inter *c* & *d*, *divellentes*. Vero, quæ inter *a* & *c*, atque inter *d* & *b* locum obtineant. Quæ cum omnes, salva natura singularum substancialium, constantes & pariter activæ esent, pugnare judicavit in corpore mixto affinitates quiescentes simul sumtas contra simul sumtas affinitates divellentes. Quod si non mutata tum manere deprehenderentur connubia, patuit superiores esse affinitates quiescentes, si vero, facto experimento, inveniretur, partes constitutivas pristina deseruisse connubia & nova formavisse, adeo ut loco coniunctionarum *a* cum *b*, & *c* cum *d*, jam haberantur cumposita ex *a* & *c*, atque ex *b* & *d*, concludendum erat, summam affinitatum divellentium vicisse summam affinitatum quiescentium. Cum itaque hoc experimento nonnihil proprius

4k) *Philosophical Transactions* 1783. P. I.

propius definita esset ratio quantitatis affinitatum inter quatuor substantias, dubium non fuit chemicis, quin plura instituendo tentamina, in quorum singulis, loco unius ex quatuor substantiis, nova substitueretur, magis magisque ad exactam cognitionem quantitatis affinitatum appropinquare possent. Si enim loco substantiae *c*, cum ceteris datis successively periculo submitterentur aliæ *e*, *f*, *g*, *h*, &c. quarum affinitates simplices ad *a* & *d*, qua ordinem, cognitæ esent, experimentis nuper memorato similibus cognosci poterit, utrum affinitas inter *a* & *b*, successively addita affinitatibus inter *e* & *d*, *f* & *d*, *g* & *d*, *h* & *d*, &c. majores vel minores efficiant summas, quam affinitas inter *d* & *b* una cum affinitate inter *a* & *e*, aut *a* & *f*, aut *a* & *g*, aut *a* & *h* &c. Substitutis deinde iisdem *e*, *f*, *g*, *h* successively loco substantiae *b*, similiter examinabitur, utrum affinitas inter *a* & *c* addita affinitatibus inter *e* & *d*, *f* & *d*, *g* & *d*, *h* & *d* majores vel minores efficiat summas, quam affinitas inter *d* & *c* una cum affinitatibus inter *a* & *e*, *a* & *f*, *a* & *g*, *a* & *h*. Positis jam pro valoribus affinitatum substantiae *a* ad substantiam *b*, & ejusdem *a* ad *c* duobus numeris *m* & *n*, duabusque aliis *o* & *p* pro valoribus affinitatum iuter *d* & *b* atque iuter *d* & *c*, ea conditione determinatis, ut summa *m* + *p* aut major sit aut minor, quam summa *n* + *o*, prout indicaverit experimentum cum quatuor illis substantiis institutum fieri conjunctiones aut inter *a* & *b* atque *d* & *c*, aut inter *a* & *c* atque *d* & *b*. Similiter instituto experimento cum substantiis *a*, *b*, *e*, *d*, designentur valores affinitum inter *a* & *e*, atque inter *d* & *e*, numeris *r* atque *s*, ad indicationem hujus experimenti accommodatis. Tum, facto cum substantiis *a*, *e*, *c*, *d* experimento, videbitur utrum cum hoc quoque quadrant valores affinitatum *r*, *p*, *n*, *s*, adeo ut eidem convenienter sit *r* + *p* aut major aut minor quam *n* + *s*. Si differat ratio numerorum præsumtorum ab indicatione novi experimenti, corrigantur illi necesse est additionibus aut subtractionibus, ut cum omnibus experimentis consoloni siant.

Sie

Sic valores affinitatum, tentaminis gratia primum adsumtos, deinde, facta multorum experimentorum comparatione, ulterius atque ulterius correctos, tandem a veris non ab ludere proportionibus, probabile fuit. Nonnulla horum conatinum exempla exhibere proposito nostro sufficiet,

Cel. ELLIOT, cum anno 1782 explanatus editam tabulam attractionum BERGMANNI vulgaret (4l), phænomenon respiciens duplicitis affinitatis, vi cuius dirimatur solutio argenti in acido nitrico per additum sulphatē potassæ, valores affinitatum inter has substantias simplicium ita significavit, ut posneret affinitatem inter acidum sulphuricum & potassam = 9, inter acidum nitricum & oxidum argenti = 2, inter acidum nitricum & potassam = 8, inter acidum sulphuricum & oxidum argenti = 4. Sic enim obtinuit summam affinitatum quiescentium $9 + 2 = 11$ minorem summa affinitatum divellentium $8 + 4 = 12$.

DE FORCROY, jam anno 1784 (4m) ex penitatis paucioribus affinitatum simplicium phænomenis, numeris designare studuerat quantitates nonnullarum affinitatum simplicium. Suffragantibus deinde pluribus experimentis, tabellam correxit & ita amplificavit, ut mensuras virium, quibus unumquodque acidorum præcipuorum attrahat singula alkalia & terras salibus formandis convenientia, sequentibus numerorum series representaret (4n).

Apg.

4l) *Elementa de philosophie naturelle*, cuius cognitorem non nisi ex recensione a MORVEAU in opere citato, *Grundzüge der chemischen Affinität*, facta, habemus.

4m) *Mémoires & Observations de Chimie à Paris 1784.*

4n) *Elements d'histoire naturelle & de chimie*, 4:me Edition, 1791. Tom. II.

Affinitates ad potas- sodam, calcem, ammo- magne- alumi-
jam, niacum, siam, nam.

ACIDI								
SULPHURICI	-	8	-	7	-	6	-	4
ACIDI								3,5
NITRICI	-	7	-	6	-	4	-	3
ACIDI								2
MURIATICI	-	6	-	5	-	3	-	2
ACIDI								1
CARBONICL	-	2	-	1	-	3	-	0,75
								0,33
								0,25

Animadvertisit vero DE MORVEAU (40) in hac expositione, non accurate, secundum indicia experimentorum satis cognitorum exhibitas esse affinitatum rationes. Cum enim notum esset, quod ex commixtis nitrate calcis & muriate potassæ, vi duplicis affinitatis producatur nitras potassæ, patuit affinitates, inter partes horum salium constitutivas, divellentes majores esse quiescentibus. At apposita tabula fistit summam affinitatum quiescentium $= 4 + 6 = 10$ æqualem summæ affinitatum divellentium $7 + 3 = 10$. E contrario, cum non mutati post commixtionem permaneant nitras calcis & murias sodæ, judicavit in his salibus potentiores esse affinitates quiescentes prædivellentibus. At consulta tabula oblata inveniebatur summa illarum $4 + 5$ nihil differre a summa affinitatum divellentium $6 + 3 = 9$. Itaque ut minores quoque valorum differentiæ convenientius præsentari possent, & evitarentur numeri fracti, necessarium duxit majoribus numeris integris affinitatum rationes exponere, novamque, diligenter examinatis & inter se comparatis phænomenis, edidit tabulam, mensuras affinitatum inter septem bases salinas & quinque acida accurate satis designaturam. Cujus en typum:

Affi-

40) *Theoretische und praktische Grundsätze der chemischen Affinität, oder Wahlverwandtschaft*, übersetzt von D. J. VEIT, Berlin 1794.
S. 139.